Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Elegia in obitum ... Joan. Jacobi Seuberti medicinae doctoris ...

Keck, Johann Christian

[S.l.], 1675

[Fließtext]

urn:nbn:de:bsz:31-135513

Visual Library

QUem fugitiva dies Heroa silentibus Umbris
Addidit, & tumulo nox inimica tegit,
SEUBERTUM, incolumis certatim flebit, & æger,
Curque fleat, caussas alter & alter habet.
Scilicet, Invidiæ rumpantur ut ilia, verum
Dicta probaturo si datur ore loqui,
Incolumi servata salus, mora lucis in ægro,
Post superos, hujus dona fuêre Viri.
Nec modo SEUBERTUS pressos è plebe levavit
Febribus, & vulgus vivere jussit inops;
Quamlibet hæc pietas mereatur honore perenni
Et superaturâ sæcula laude coli:
ALSATIÆ Proceres quin salvos præstitit idem,
Arte domi medicâ maximus, arte foris.
Nobilium quoties evicit Apollinis hujus
Usa valetudo dexteritate necem?
Principibus quoties SEUBERTI cura dolores
Abstulit, & prisci roboris esse dedit?
Præsertim, regio cui DURLACENSIS obedit,
Pendet & à cujus nostra salute salus,

MAR-

MARCHIO, qui Patriæ ductu regit arma manuque,
Sæpe bibit civi pharmaca mista suo.
O decus! ô lauro gelidam ridente senectam
Gloria per doctos condecoranda choros!
Tuque datrix hominum præsens Hygiæa salutis,
Quâ sine nemo viget, quâ sine nemo valet;
Tune vetare mori fueras oblita potentem
SEUBERTUM invalidos ante vetare mori?
Tune tot optantes, ut tempora longa supersit
SEUBERTUS, frustra ludere vota sinis?
Heu sinis! & metam positi mortalibus ausi
Mors etiam medicos cogit adire bonos,
Nempe Senem toties ægris aversa medendo
Fata retardantem nunc sua fata trahunt.
Cumque peregisset bis septem lustra sub astris,
Astra subit, vitæ, laudis, opumque satur.
Astra, pium Socerum quæ pridem fulgida cingunt,
SALZMANNUM, in Natis qui super orbe micat.
Ilicet amplexu se mutua pectora mulcent,
DINCKELIUSQUE horum claudit uterque latus.
Quos ibi dum reficit junctos æterna voluptas,
Mars nihil ausit ubi, Parca nocere nihil;

Nos

Nos decet exemplum Virtutis amabile cultu
Dignari, & famæ continuare decus:
Nos, obitu ex isto præsagia sumere nostri,
Cras, si non hodie, vera futura nimis.
Stamus in ancipiti, quotquot superamus, & aurâ
Vescimur; adrepit cuique suprema dies.
Nec satis est certum, num sic adrepere pergat
Sueta suos olim præcipitare gradus?
Cumprimis ubi bella tonant, Diræq; per Orbem
Tergemino quatiunt torta flagella malo.
Idcirco memores simus necis, ultima vitæ
Linea cum fieri quælibet hora queat.
Tu tamen interea, studiis, quibus impiger instas,
Lumen AVI mundo redde RUDOLPHE
Nepos!